



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 33. Alphonsus Ludovicus du Plessis de Richelieus Cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](#)

celebratisque meritis Romana Purpura Sæc. XVII.
 decoratus, octavo post anno in Epi- A. C. 1653.
 scopali suo Palatio die vigesima sexta
 Februarii annos natus septuaginta tres
 animam Deo reddidit.

§. XXXIII.

Alphonsus Ludovicus du Plessis de Richelieu Cardinalis mortuus.

Iterata in progressu hujus Historiæ Frizon. Gall.
 mentio occurrebat Alphonsi Ludovici du Plessis de Richelieu, qui celeberrimi Franciæ Ministri Armandi Richelii Frater natu major præter plurimas, easque sat pingues Præbendas ab Henrico IV. ad Lucionensem Ecclesiam nominatus, relictis omnibus mundi dignitatibus Carthusianorum institutum professus est, ex quo ad Archiepiscopatum Aquensem a Ludovico XIII. Galliarum Rege assumptus, ac postea ad Lugdunensem Ecclesiam evectus, tandem etiam Cardinalium collegio adscribatur, quamvis Sixti V. decreto duos Germanos Fratres simul Purpura decorari prohibitum esset, id tamen Urbanus VIII. se fecisse testabatur, precebus ejusdem Regis, merito Armandi Cardinalis, & eximia Alphonsi pietate, fidei ac disciplinæ Zelo permotus. Postea pro gravissimis Regni negotiis Romanam

Sæc. XVII. mam ad eundem Pontificem decretus
A. C. 1653. rubrum galerum, titulumque Ecclesiæ
 SS. Trinitatis in Monte Pincio obtinuit:
 inde in Gallias reverfus, cum Lugdo-
 nensis Urbs gravi pestilentia conflic-
 retur, nullas boni Pastoris partes præ-
 termisit, ipsusque ægros sæpiissime vi-
 sitans, moribundis Ecclesiæ Sacramenta
 Christiano proprii periculi contemptu
 administravit: tandem vero diuturna
 hydropisi confectus, bonis suis potissi-
 mam partem in egenos distributis, ac
 testamento relictis Lugduni die vigilia
 tertia Martii pie, ut vixit, in Do-
 mino obiit, sepultus in Hospitali pauperum
 Lugdunensium, cuius humilis
 tumulo sequens propria sua manu scri-
 ptum epitaphium apponi jussit:

Pauper natus sum,
 Paupertatem novi,
 Pauper morior,
 Inter pauperes sepeliri volo.

§. XXXIV.

Friderici Cornelii Cardinalis extrema.

Thomas. in
Elog. Vitto-
rell. l.c. **T**ertius ex Purpuratis hoc anno de-
 natis erat Fridericus Cornelius pa-
 tria Venetus, qui eximius Literatorum
 fautor adhuc juvenis Palatum suum in

Aca-